



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Qvaestio V. De adeptione beatitudinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

Hom. 10. in Evangelica, cit. princip.

furgamus, sicut Gre. dicit in quadam * Hom. Sicut per cibum, & potum intelligitur delectatio beatitudinis: per diuitias, sufficientia qua homini sufficit Deus: per regnum, exaltatio hominis vsque ad coniunctionem cum Deo.

AD SECUNDVM dicendum, quod bona ista de feruentia animali vitæ, non competunt vitæ spirituali, in qua beatitudo perfecta consistit. Et tamen erit in illa beatitudine omnium bonorum congregatio, quia quicquid bonum inuenitur in istis, totum habebitur in summo fonte bonorum.

Lib. 1. cap. 9. non remote a si. 10. 4.

AD TERTIVM dicendum, quod secundum * Aug. in lib. de ser. Do. in monte: Merces sanctorum non dicitur esse in corporeis calis: sed per calos intelligitur altitudo spiritualium bonorum. Nihilominus tamen locus corporeus scilicet celum empyreum aderit beatis, non propter necessitatem beatitudinis: sed secundum quandam congruentiam & decorem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum ad beatitudinem requiratur societas amicorum.

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur, quod amici sint necessarij ad beatitudinem. Futura enim beatitudo in scripturis frequenter nomine glorie designatur: sed gloria consistit in hoc, quod bonum hominis ad notiam multorum deducitur. ergo ad beatitudinem requiritur societas amicorum.

¶ 2 Præt. Boetius dicit, quod nullius boni sine consortio iucunda est possessio: sed ad beatitudinem requiritur delectatio: ergo etiam requiritur societas amicorum.

¶ 3 Præt. Caritas in beatitudine perficitur: sed caritas extendit se ad dilectionem Dei, & proximi. ergo videtur, quod ad beatitudinem requiratur societas amicorum.

SED CONTRA est, quod dicitur Sapient. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, scilicet, cum diuina sapientia, quæ consistit in contemplatione Dei: & sic ad beatitudinem nihil aliud requiritur.

Cap. 5. & 11.

RESPON. Dicendum, quod si loquamur de felicitate presentis vitæ, sicut Philosophus dicit in 10. * Eth. Felix indiget amicis, non quidem propter utilitatem, cum sit sibi sufficiens: nec propter delectationem, quia habet in seipso delectationem perfectam in operatione virtutis: sed propter bonam operationem, ut scilicet, eis benefaciat, & vt eos inspiciens benefacere delectetur, & vt ab eis in benefaciendo iuuetur. Indiget. n. homo ad bñ operandum auxilio amicorum tam in operibus vitæ actiue, quàm in operibus vitæ contemplatiue. Sed si loquamur de perfecta beatitudine quæ erit in patria, non requiritur societas amicorum de necessitate ad beatitudinē: quia non habet totam plenitudinē sue perfectionis in Deo: sed ad bene esse beatitudinis facit societas amicorum. K

Cap. 22. post mediū 10. 9.

Vnde Aug. * dicit 8. super Gen. ad literā, quod creatura spiritualis, ad hoc quod sit beata, non nisi intrinsecus adiuuatur aternitate, veritate, caritate creatoris: extrinsecus vero, si adiuuari dicenda est, fortasse hoc solo adiuuatur, quod se inuicem uident, & de sua societate gaudent.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod gloria, quæ est essentialis beatitudini, est, quam habet homo non apud hominem, sed apud Deum.

AD SECUNDVM dicendum, quod verbum illud intelligitur, quando in eo bono quod habetur, non est plena sufficientia. quod in proposito dici non potest: quia omnis boni sufficientiam habet homo in Deo.

AD TERTIVM dicendum, quod perfectio charitatis est essentialis beatitudini quantum ad dilectionem Dei, non quantum ad dilectionem proximi. Vnde si esset una sola anima fruens Deo, beata esset non habens proximum quem diligeret: sed supposito proximo, sequitur dilectio eius ex perfecta dilectione Dei. vnde quasi concomitanter se habet amicitia ad perfectam beatitudinem.

QVAESTIO V.

Super questionem quintam.

De adeptione beatitudinis in octo articulis diuisa.

DEINDE considerandum est de ipsa adeptione beatitudinis.

ET CIRCA hoc quaruntur octo.

¶ Primo, Vtrum homo possit consequi beatitudinem.

¶ Secundo, Vtrum vnus homo possit esse alio beator.

¶ Tertio, Vtrum aliquis possit esse in hac vita beatus.

¶ Quarto, Vtrum beatitudo habita possit amitti.

¶ Quinto, Vtrum homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem.

¶ Sexto, Vtrum homo consequatur beatitudinem per actionem alicuius superioris creaturæ.

¶ Septimo, Vtrum requirantur opera hominis aliqua ad hoc, quod homo beatitudinem consequatur a Deo.

¶ Octauo, Vtrum omnis homo appetat beatitudinem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum homo possit consequi beatitudinem.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod homo beatitudinem adipisci non possit.

Sicut enim natura rationalis est supra sensibilem, ita natura intellectualis est supra rationalem, ut patet per * Dion. in lib. de di. no. in multis locis: sed bruta animalia quæ habent naturam sensibilem tantum, non possunt peruenire ad finem rationalis nature, ergo nec homo qui est rationalis nature, potest peruenire ad finem intellectualis nature, qui est beatitudo.

¶ 2 Præt. Beatitudo uera consistit in visione Dei, quæ est veritas pura: sed homini est connaturale ut veritatem intueatur in rebus materialibus, unde species intelligibiles in phantasmatibus intelligit, ut dicitur in * 3. de anima. ergo non potest ad beatitudinem peruenire.

¶ 3 Præt. Beatitudo consistit in adeptione

IN quest. 5. aduertendum est, quod licet visio Dei per essentiam, & beatitudo formalis intellectualis creaturæ coincident realiter, vt ex supradictis patet: quæ tamen distinguuntur formaliter, ideo diuersa sunt quæ sita ista formaliter a quæ sitis in prima parte, quæ sit. 12. Decuit enim tam perfectum doctorem complere omnia formaliter. Nihil igitur est superfluum.

Super Questionis quinta Arisculum primum.

IN hoc artic. 1. q. 5. nota, quod author ex duobus capacitatibus hominis respectu perfecti boni ostendens, alteram naturalem, quod hic experimus, scilicet cognitionem ipsius Dei vniuersalis & summi boni, quæ ex studio acquirimus, diu cognoscimus Deum esse eum, qui si videretur, beater & appetitu qualescunq; in ipso Deo quiescendi; alteram quodammodo naturalem, quod probamus, scilicet, quod omnis intellectus est capax (quis remote) diuina visionis ex hoc ipso quod intellectus est. In secundo autem & tertio nihil occurrit.

Cap. 5.

Text. 19.

ptione summi boni : sed aliquis non potest peruenire ad summum, nisi transcendat media. cum igitur inter Deum, & naturam humanam media sit natura angelica, quam homo transcendere non potest, videtur quod non possit beatitudinem adipisci.

SED CONTRA est, quod dicitur in Psal. 93. Beatus homo, quem tu erudieris Domine.

RESPON. Dicendum, quod beatitudo nominat adeptionem perfecti boni. Quicumque ergo est capax perfecti boni, potest ad beatitudinem peruenire. Quod autem homo boni perfecti sit capax, ex hoc apparet, quod eius intellectus potest comprehendere vniuersale, & perfectum bonum, & eius volentia appetere illud: & ideo homo potest beatitudinem adipisci. Apparet etiam idem ex hoc, quod homo est capax visionis diuinae essentiae, sicut in 1. habitum est: in qua quidem visione perfectam hominis beatitudinem consistere diximus.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod aliter excedit natura rationalis sensitiua, & aliter intellectualis rationalem. Natura enim rationalis excedit sensitiuam quantum ad cognitionis obiectum, quia sensus nullo modo potest cognoscere vniuersale, cuius ratio est cognoscitiua: sed intellectualis natura excedit rationalem quantum ad modum cognoscendi intelligibilem veritatem. Nam intellectualis natura statim apprehendit veritatem, ad quam rationalis natura per inquisitionem rationis pertingit, ut patet ex his quae in 1. dicta sunt: & ideo ad id quod intellectus apprehendit, ratio per quendam motum pertingit. vnde rationalis natura consequi potest beatitudinem, quae est perfectio intellectualis naturae: tamen alio modo quam angeli. Nam angeli consecuti sunt eam statim a post principium suae cognitionis: homines autem per tempus ad ipsam perueniunt. sed natura sensitiua ad hunc finem nullo modo pertingere potest.

AD SECUNDUM dicendum, quod homini secundum statum praesentis vitae, est connaturalis modus cognoscendi veritatem intelligibilem per phantasmata: sed post huius vitae statum habet alium modum connaturalem, ut in 1. dictum est.

AD TERTIUM dicendum, quod homo non potest transcendere angelos gradu naturae, ut scilicet naturaliter sit eis superior: potest tamen eos transcendere per operationem intellectus, dum intelligit aliquid super angelos esse, quod homines beatificat: quod cum perfecte consequetur, perfecte beatus erit.

ARTICVLVS II.

Utrum vnus homo possit esse beator altero.

AD SECUNDUM sic proceditur. Videtur quod vnus homo alio non possit esse beator. Beatitudo enim est premium virtutis, ut Philosophus dicit in 1. Ethic. sed pro operibus virtutum omnibus aequalis merces redditur: dicitur enim Matthei 20. quod omnes qui operati sunt in vinea, acceperunt singulos denarios: quia ut dicit Greg. aequalis aeternae vitae retributionem sortiti sunt. ergo vnus non erit beator alio. ¶ 2. Praet. Beatitudo est summum bonum: sed summo non potest esse aliquid maius. ergo beatitudine vnus hominis non potest esse alia maior beatitudo. ¶ 3. Praet. Beatitudo cum sit perfectum, & sufficiens bonum, desiderium hominis quietat: sed non quietatur desiderium, si aliquid bonum deest, quod suppleri possit. si autem nihil deest quod suppleri possit, non poterit esse aliquid aliud maius bonum. er-

go vel homo non est beatus: vel si est beatus, non potest alia maior beatitudo esse.

SED CONTRA est, quod dicitur Io. 14. In domo patris mei mansiones multae sunt: per quas, ut Aug. dicit, diuersae meritorum dignitates intelliguntur in vita aeterna. Dignitas autem vitae aeternae, quae pro merito datur, est ipsa beatitudo. ergo sunt diuersi gradus beatitudinis, & non omnium est aequalis beatitudo.

RESPON. Dicendum, quod sicut supra dictum est, in ratione beatitudinis duo includuntur, scilicet, ipse finis vltimus, qui est summum bonum, & adeptio, vel fructio ipsius boni. Quantum igitur ad ipsum bonum, quod est beatitudinis obiectum & causa, non potest esse vna beatitudo alia maior, quia non est nisi vnum summum bonum, scilicet Deus, cuius fruitione homines sunt beati: sed quantum ad adeptionem huiusmodi boni, vel fructionem, potest aliquis alio esse beator: quia quanto magis hoc bono fruatur, tanto beator est. Contingit autem aliquem perfectius frui Deo, quam alium ex eo, quod est melius dispositus, vel ordinatus ad eius fructionem, & secundum hoc potest aliquis alio beator esse.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod vnitas denarii significat vnitatem beatitudinis ex parte obiecti: sed diuersitas mansionum significat diuersitatem beatitudinis secundum diuersum gradum fructionis.

AD SECUNDUM dicendum, quod beatitudo dicitur esse summum bonum, in quantum est summi boni perfecta possessio, siue fructio.

AD TERTIUM dicendum, quod nulli beato deest aliquid bonum desiderandum, cum habeat ipsum bonum infinitum, quod est bonum omnium boni, ut Aug. dicit: sed dicitur aliquis alio beator ex diuersa eiusdem boni participatione. Additio autem aliorum bonorum non auget beatitudinem: vnde Aug. dicit in 5. confes. Qui te, & alia nouit, non propter illa beator: sed propter te solum beatus.

ARTICVLVS III.

Utrum aliquis in hac vita possit esse beatus.

AD TERTIUM sic proceditur. Videtur quod beatitudo possit in hac vita haberi. Dicitur enim in Psal. 118. Beati immaculati in via, qui ambulauerunt in lege Domini: hoc autem in hac vita contingit. ergo aliquis in hac vita potest esse beatus.

¶ 2. Praeterea. Imperfecta participatio summi boni non adimit rationem beatitudinis, alioquin vnus non esset beator alio: sed in hac vita homines possunt participare summum bonum cognoscendo, & amando Deum, licet imperfecte. ergo homo in hac vita potest esse beatus.

¶ 3. Praet. Quod ab omnibus dicitur, non potest totaliter falsum esse. Videtur enim naturale, quod in pluribus est, natura autem non totaliter deficit: sed plures ponunt beatitudinem in hac vita, ut patet per illud Psal. 143. Beatum dixerunt populum cui haec sunt, scilicet, praesentis vitae bona. ergo aliquis in hac vita potest esse beatus.

SED CONTRA est, quod dicitur Iob. 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs: sed beatitudo excludit miseriam. ergo homo in hac vita non potest esse beatus.

RESPON. Dicendum, quod aliquis beatitudinis participatio in hac vita haberi potest: perfecta autem & vera beatitudo non potest haberi in hac vita. & hoc quidem considerari potest dupliciter. Primum quidem ex ipsa communi beatitudinis ratione. Nam beatitudo, cum sit

De 5. virgine capit. 26. tracta. 67. in 10. ante medium to. 9.

q. 1. ar. 8. & q. 2. art. 7.

Epist. 56. par. ante medium. 10. 2. & 13. de tri. c. 7. 10. 3. Li. 5. conf. c. 4. cir. prin. tom. 1.

In far. 5. cor. & q. 63. ar. 16. cor. & 3. di. 27. q. 2. ar. 2. cor. & 4. dif. 49. q. 1. ar. 2. q. 2. ad 5. Et ver. q. 14. ar. 2. cor. Et 1. Eth. lect. 16. fin.

q. 14. art. 1.

D. 752.

q. 79. ar. 8.

D. 150.

D. 150.

q. 74. art. 7. & q. 89. art. 1.

4. d. 49. q. 1. art. 4. q. 2. Ch. 2. 10. 5.

Hom. 19. in euange. par. ante me.

¶ Super Questionem quinti Articuli quarum.

In articulo aliquando super morandum est. Scito igitur primo in 1. art. differentiam inter perpetuitatem & inamissibilitatem beatitudinis. Perpetuitas enim significat durationem quadam immutabilitatis autem significat immutabilitatem quadam. haec ergo est species immutabilitatis, illa durationis. Et quoniam duratio mensura est invariabilis, vel immutabilis, prius naturaliter inest alicui rei sempiternae immutabilitas, quam perpetuitas: immo haec est illius essentia, ut ex q. 10. primi li. conuenientia non apparet. Cum igitur hic quaeritur, Virum beatitudo possit amitti, est questio non de perpetuitate formaliter, sed de inamissibilitate, quae est perpetuitatis causa. Scito secundo in corpore articuli, quod prima ratio in littera allata pro conclusionem, quae & in 4. sent. distin. 49. q. 1. arti. 1. q. 4. tangitur, male videtur intelligi a Scoto in 4. distin. 49. q. 6. Potest siquidem dupliciter intelligi, quod beatitudo sit quietativa omnis desiderii, primo ut sensus sit, quod beatitudo formalis, est formalis imperio omnis desiderii. Et hic sensus est falsus: & tamen illarum Scoto reprehendit. Secundo, ut sit sensus, quod beatitudo formalis est inferens impletionem omnis desiderii, expulsioremque omnis mali, quocumque modo illud contingat: ita quod ratio beatitudinis in communi exigit, quod in parte inferiori omnis desiderii naturalis abstrahendo a tali, vel tali modo. Et hic sensus est verus, & in rebus tam hic, quam in 4. sent. Ex hoc enim sequitur manifeste, quod beatitudo emittit inamissibilitatem, ut in littera deducitur. Alioquin dolor, vel timor inest beato. Vnde du-

lit perfectum & sufficiens bonum, omne malum excludit, & omne desiderium implet. In hac autem vita non potest omne malum excludi: multis enim malis praesens vita subiacet, quae vitari non possunt, & ignorantiae ex parte intellectus, & inordinate affectio ex parte appetitus, & multiplicibus penalitibus ex parte corporis, ut Aug. diligenter profequitur 19. de ciu. Dei. Similiter etiam boni desiderium in hac vita satari non potest: naturaliter enim homo desiderat permanentiam eius boni, quod habet. Bona autem praesentis vitae transitoria sunt, cum & ipsa vita transeat, qua naturaliter desideramus, & eam perpetuo permanere vellemus: quia naturaliter homo refugit mortem. Vnde impossibile est, quod in hac vita vera beatitudo habeatur. Secundo, si consideretur id, in quo specialiter beatitudo consistit, scilicet visio diuinae essentiae, quae non potest huiusmodi in hac vita, ut in 1. ostensum est. Ex quo manifeste apparet, quod non potest aliquis in hac vita veram, & perfectam beatitudinem adipisci.

Ad primum ergo dicendum, quod beati dicuntur aliqui in hac vita, vel propter beatitudinis adipsam scendam in futura vita, secundum illud Ro. 8. Spe salui facti sumus: vel propter aliquam participationem beatitudinis, secundum aliqualem summi boni fruitionem.

Ad secundum dicendum, quod participatio beatitudinis potest esse imperfecta dupliciter. Vno modo, ex parte ipsius obiecti beatitudinis, quod quidem secundum sui essentiam non videtur: & talis imperfectio tollit rationem vere beatitudinis. Alio modo potest esse imperfecta ex parte ipsius participantis, qui quidem ad ipsum obiectum beatitudinis secundum seipsum attingit. I. Deum: sed imperfectio per respectum ad modum quo Deo seipso fruitur. & talis imperfectio non tollit veram rationem beatitudinis: quia cum beatitudo sit operatio quaedam, ut supra dictum est, vera ratio beatitudinis consistit in actu, non autem ex subiecto.

Ad tertium dicendum, quod homines reputant in hac vita esse aliquam beatitudinem propter aliquam similitudinem vere beatitudinis: & sic non ex toto in sua estimatione deficiunt.

ARTICVLVS IIII.

Verum beatitudo habita possit amitti.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod beatitudo

possit amitti. Beatitudo enim est perfectio quaedam: sed omnis perfectio inest perfectibili secundum modum ipsius. cum igitur homo secundum naturam suam sit mutabilis, videtur, quod beatitudo ab homine mutabiliter participetur: & ita videtur quod homo beatitudinem possit amittere.

¶ 2. Praet. Beatitudo consistit in actione intellectus, qui subiacet voluntati: sed voluntas se habet ad opposita. ergo videtur quod possit desistere ab operatione, qua homo beatificatur: & ita homo desinet esse beatus.

¶ 3. Praet. Principio respondet finis: sed beatitudo hominis habet principium, quia homo non semper fuit beatus. ergo videtur quod habeat finem.

Sed contra est, quod dicitur Matth. 23. de iustis, quod ibunt in vitam aeternam: quae, ut dictum est, est beatitudo sanctorum. Quod autem est eternum, non desinit. ergo beatitudo non potest amitti.

Respons. Dicendum, quod si loquamur de beatitudine imperfecta, qualis in hac vita potest haberi, si potest amitti. Et hoc patet in felicitate contemplatiua, quae amittitur vel per oblivionem, puta cum corrumpitur scientia ex aliqua aegritudine: vel per aliquas occupationes, quibus totaliter abstrahitur aliquis a contemplatione. Patet etiam idem in felicitate actiua. Voluntas enim hominis transmutari potest, ut videlicet degeneret a virtute, in cuius actu principaliter consistit felicitas. Si autem virtus remanet integra, exteriores transmutationes possunt quidem beatitudinem perturbare, in quantum impediunt multas operationes virtutis, non tamen possunt eam totaliter auferre, quia adhuc remanet operatio virtutis, dum ipsa aduersitates homo laudabiliter sustinet.

Et quia beatitudo huius vite amitti potest, quod videtur esse contra rationem beatitudinis: ideo Philosophus dicit in primo Ethico, quod aliquos esse in hac vita beatos non simpliciter, sed sicut homines, quorum natura mutationi subiecta est. Si vero loquamur de beatitudine perfecta, quae expectatur post hanc vitam, sciendum, quod Origenes posuit, quod quorundam Platoniorum errorem sequens, quod post ultimam beatitudinem homo potest fieri miser. Sed hoc manifeste apparet esse falsum dupliciter.

¶ Primo quod ex ipsa communi ratione

pliciter Scous ibidem desecisse videtur. Primo, quia non distinguit inter immobilitatem seu inamissibilitatem, & perpetuitatem: & quae de immutabilitate dicitur, & de perpetuitate consequenter, de perpetuitate formaliter accipit. Secundo, quia esse immobilitatem de ratione beatitudinis, intelligitur formaliter, aut virtualiter: quoniam, ut dicitur 10. Metaphysico. Corruptibile, & incorruptibile, aut sunt substantia, aut in substantia: & tamen ipse formaliter accipit de perpetuitate. Scito tertio, quod secunda ratio litterae efficacialis est apud eum philosophos, qui non in aere loquuntur, sed voluntatem in bonum tantum, & voluntatem rectam in vere bonum tantum ferri posse non vident. In responsione ad primum eiusdem articuli, habes duo notanda. Primo, quod beatitudo est immutabilis, & consequenter incorruptibilis: ac per hoc differt plusquam genere ab aliis actibus corruptibilibus, iuxta doctrinam Arist. 10. Metaphysico. Secundo, causas immutabilitatis eius, formalem scilicet, quia est perfectio consummata: effectiuam vero, diuinam virtutem: materialem autem, hominem eleuatum in participationem aeternitatis. Et hoc tertium, pro quanto includit quod beatitudo formalis mensuratur aeternitate participata, & non aetate, impugnat a Scoto in loco allegato: quia tamen satisfecimus ei in 1. lib. q. 10. non replicandum censeo. & his si addatur bonitas per essentiam, cuius adeptio est beatitudo, videbitur & reliqua causa, scilicet, finalis ipsius beatitudinis. Ex primo horum habes, quod beatitudo hanc non se habet ad perpetuitatem, sicut albedo

d. 8. q. 3. ar. 2. cor. fin. & 3. contra. c. 61. & 62. & 2. ca. 166. li. 10. 10. lect. 7.

* Ar. 2. lib. 10. q. 10.

* Cap. 10. in fine.

¶ Lib. 1. Periar. cap. 5. a med. & lib. 2. c. 10. 4. ¶ Absque quorundam philosophorum.

do se haberet ad eā, si a Deo perpetuo cōseruaretur, quoniam albedo illa esset in se corruptibilis, & per accidens perpetua; beatitudo autē perfecta, de qua loquimur, est secundum se incorruptibilis, & per se sibi vendicat perennitatem, & propria se habet ad perpetuitatem, sicut figura coelestis. Ex secundo autem horum habes modum, quo beatitudo haec consistit in immutabilis, scilicet eleuādo subiectum supra mutabilitatem. Ex hoc enim quod mens humana eleuatur i eternitatis ordinem, oportet q̄ praeleuetur in ordinem immutabilium: quoniam eternitas immutabilitatem requirit. Omnibus autem beatitudinis causis supra mutabilitate existentibus, necesse est beatitudinem ipsam immutabile esse.

a. 1. & 3.

* q. 3. art. 8.

q. 4. art. 4.

ne beatitudinis. Cū enim ipsa beatitudo sit perfectum bonum, & sufficiens, oportet q̄ desiderium hominis quietet, & omnem malum excludat. Naturaliter autem homo desiderat retinere bonum quod habet, & q̄ eius retinendi securitatē obtineat: alioquin necesse est, q̄ timore amittendi, vel dolore, de certitudine amissionis affligatur. Requiritur igitur ad verā beatitudinem, q̄ homo certā habeat opinionem, bonum, quod habet, nunquam se amissurum. quae quidem opinio si vera sit, consequens est, q̄ beatitudinem nūquam amittet: si autem falsa sit, hoc ipsum est quoddā malum, falsam opinionem habere. nam falsum est malum intellectus, sicut verum est bonum ipsius, ut dicitur in 6. Ethic. * Non igitur iam vere erit beatus, si aliquid malum ei inest.

¶ Secundo idem apparet, si consideretur ratio beatitudinis in speciali. Ostemus enim supra, * q̄ perfecta beatitudo hominis in visione diuinā essentiae consistit. Est autem impossibile, q̄ aliquis videns diuinam essentiam, velit eam non videre: quia omne bonum habitum quo aliquis carere vult, aut est insufficientis, & quaeritur aliquid sufficientius loco eius: aut habet aliquid incommodum annexum, pp̄ quod in fastidium venit. Visio autem diuinā essentiae replet animam omnibus bonis, cū coniungat fonti totius bonitatis: vnde dicitur in Psal. 16. Satiabor cū apparuerit gloria tua. & Sap. 7. dicitur. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. scum contemplatione sapientiae. Similiter etiam non habet aliquid incommodum adiūctum: quia de contemplatione sapientiae dicitur, Sap. 8. Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tedium conuictus eius. Sic ergo patet, q̄ propria voluntate beatus non potest beatitudinem deserere: similiter etiā non potest eā perdere Deo subtrahente: quia cū subtrahit beatitudinis sit quaedam pena, nō potest talis subtrahitio a Deo iusto iudice prouenire, nisi p̄ aliqua culpa, in quā cadere nō potest, qui Dei essentia videt, cū ad hanc visionē ex necessitate sequatur reditudo voluntatis, vt supra ostensum est. * Similiter etiam nec aliquid aliud agens potest eam subtrahere, quia mens Deo coniuncta super omnia alia eleuatur, & sic ab huiusmodi coniunctione nullum aliud agens potest ipsam excludere. Vnde inconueniens videtur, quod per quasdam alternationes temporum transeat homo de beatitudine ad miseriam, & econuerso: quia huiusmodi temporales alternationes esse nō possunt, nisi circa ea, quae subiacent tempori, & motui.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod beatitudo est perfectio consummata, quae omnem defectum excludit a beato: & ideo absque mutabilitate aduenit eam habenti, faciente hoc virtute diuina, quae hominem subleuat in participationem eternitatis transcendens omnem mutationem.

AD SECVNDVM dicendum, quod voluntas ad opposita se habet in his, quae ad finem ordinantur: sed ad vltimum finem naturali necessitate ordina-

atur: quod patet ex hoc, quod homo non potest non velle esse beatus.

AD TERTIVM dicendum, quod beatitudo habet principium ex conditione participantis: sed caret sine propter conditionem boni, cuius participatio facit beatum: vnde ab alio est initium beatitudinis, & ab alio est, quod caret sine.

ARTICVLVS V.

Vtrum homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem.

¶ Super questio quinta articulum quintum.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quod homo per sua naturalia possit beatitudinē consequi. Natura enim non deficit in necessariis: sed nihil est homini tam necessarium, quam id, quod per finem vltimum consequitur: ergo hoc naturae humanae non deest. Potest igitur homo per sua naturalia beatitudinem consequi.

¶ 2. Praeterea. Homo, cum sit nobilior irrationalibus creaturis, videtur esse sufficientior: sed irrationales creaturae per sua naturalia possunt consequi suos fines: ergo multo magis homo per sua naturalia potest beatitudinem consequi.

¶ 3. Praeterea. Beatitudo est operatio perfecta, secundum Philosophum. * Eiusdem autem est incipere rem, & perficere ipsam. Cū igitur operatio imperfecta, quae est quasi principium in operationibus humanis, subdat naturali hominis potestati, qua suorum actuum est dominus, videtur, quod per naturalem potentiam possit pertingere ad operationem perfectam, quae est beatitudo.

SED CONTRA. Homo est principium naturaliter actuum suorum per intellectum, & voluntatem: sed vltima beatitudo sanctis preparata excedit intellectum, & voluntatem. Dicit enim Apostolus 1. ad Corinth. 2. Oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit, quae preparauit Deus diligentibus se: ergo homo per sua naturalia non potest beatitudinem consequi.

RESPONDEO: Dicendum, quod beatitudo imperfecta, quae in hac vita haberi potest, potest ab homine acquiri per sua naturalia eo modo, quo & virtus, in cuius operatione consistit, de quo infra dicitur: * sed beatitudo hominis perfecta, sicut supra dictum est, consistit in visione diuinā essentiae. Videre autem Deum per essentiam, est supra naturam non solum hominis, sed etiam omnis creature, vt in primo ostensum est. * Naturalis enim cognitio cuiuslibet creature est secundum modum substantiae eius: sicut de intelligentia dicitur in libro de causis, quod cognoscit ea, quae sunt supra se, & ea quae sunt infra se secundum modum substantiae suae: omnis autem cognitio, quae est secundum modum substantiae creatae, deficit a visione diuinā essentiae, quae in infinitum excedit omnem substantiam creatam: vnde nec homo, nec aliqua creatura potest consequi beatitudinem vltimam per sua naturalia.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut natura non deficit homini in necessariis, quamuis nō dederit sibi arma, & tegumenta, sicut aliis animalibus, quia dedit ei rationem, & manus, quibus possit hac sibi acquirere, ita nec deficit homini in necessariis, quamuis non daret sibi aliquid principii, quo

IN articulo quinto defendenda esset ratio conclusionis in litera posita, nisi diffuse tractata fuisset in 1. lib. q. 12. artic. 4. ubi responsum est Scoto eam impugnari in 4. dist. 49. quest. 2. quare vide ibi, &c.

Infra q. 62. art. 1. 2. & 3. Et 1. q. 12. art. 4. & q. 94. art. 1. Et 4. d. 49. q. 2. art. 6. Et 3. contra. 32. 147. 157. & 159. prin. Et Ro. 11. c. 6. fi.

* Li. 1. Ethic. 7. 10. 5.

* q. 67.

† q. 3. art. 8.

* q. 2. art. 4.

q. 3. art. 1. h. & 1. tra. c. 61. 2. de op. 146. Et. 10. let. 2. huius. 1. 1. Fe. cap. 5. & lib. 0. 4. sequo. m. phi. h. o. n.

quo posset beatitudinem consequi. hoc enim erat impossibile: sed dedit ei liberum arbitrium, quo potest fieri cōverti ad Deum, qui eum faceret beatum. Quae enim per amicos possumus, per nos aequaliter possumus, ut dicitur in 3. Ethico. †

† Ca. 3. post mod. illius tom. 5.

AD SECVNDVM dicendum, quod nobilioris conditionis est natura, quae potest consequi perfectum bonum, licet indigeat exteriori auxilio ad hoc consequendum, quam natura quae non potest consequi perfectum bonum, sed consequitur quoddam bonum imperfectum, licet ad consecutionem eius non indigeat exteriori auxilio, ut Philosophus dicit in 2. de celo: * Sicut melius est dispositus ad sanitatem, qui potest consequi perfectam sanitatem, licet hoc sit per auxilium medicinae, quam qui solum potest consequi quandam imperfectam sanitatem sine medicinae auxilio. & ideo creatura rationalis, quae potest consequi perfectum beatitudinis bonum indigens ad hoc diuino auxilio, est perfectior quam creatura irrationalis, quae huiusmodi boni non est capax, sed quoddam bonum imperfectum consequitur virtute suae naturae.

* A tex. 60. vique ad 66. tom. 2.

AD TERTIVM dicendum, quod quando imperfectum, & perfectum sunt eiusdem speciei, ab eadem virtute causari possunt: non autem hoc est necesse, si sunt alterius speciei. Non enim quicquid potest causare dispositionem materiae, potest ultimam perfectionem conferre: imperfecta autem operatio, quae subiacet naturali hominis potestati, non est eiusdem speciei cum operatione illa perfecta, quae est hominis beatitudo, cum operationis speciei dependeat ex obiecto. unde ratio non sequitur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum homo consequatur beatitudinem per actionem alicuius superioris creaturæ.

† Super Quaestione quinta Articulum sextum.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod homo possit fieri beatus per actionem alicuius superioris creaturæ, scilicet, angeli. Cum enim duplex ordo inueniatur in rebus, unus partium uniuersi ad inuicem: alius totius uniuersi ad bonum, quod est extra uniuersum: primus ordo ordinatur ad secundum, sicut ad finem, ut dicitur 12. Metaphy. * Sicut ordo partium exercitus ad inuicem, est propter ordinem totius exercitus ad ducem: sed ordo partium uniuersi ad inuicem, attenditur secundum quod superiores creaturæ agunt in inferiores, ut in 1. dictum est. † Beatitudo autem consistit in ordine hominis ad bonum, quod est extra uniuersum, quod est Deus. ergo per actionem superioris creaturæ, scilicet, angeli in hominem, homo beatus efficitur.

* Tex. 53. & 53. 10. 7.

† p. p. q. 22. art. 1. ad 3. 6. argum.

¶ 2 Præt. Quod est in potentia tale, potest reduci in actum per id, quod est actu tale. sicut quod est potentia calidum, fit actu calidum per id, quod est actu calidum: sed homo est in potentia beatus: ergo potest fieri actu beatus per angelum, qui est actu beatus.

* q. 3. art. 5.

¶ 3 Præt. Beatitudo consistit in operatione intellectus, ut supra dictum est: * sed angelus potest illuminare intellectum hominis, ut in primo habitu est: ergo angelus potest facere hominem beatum.

SED CONTRA est, quod dicitur in Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus,

F RESPON. Dicendum, quod cum omnis creatura naturae legibus sit subiecta, utpote habens limitatam virtutem, & actionem, illud quod excedit naturam creatam, non potest fieri virtute alicuius creaturæ: & ideo si quid fieri oporteat quod sit supra naturam, hoc fit immediate à Deo: sicut suscitatio mortui, illuminatio caeci, & cetera huiusmodi. Ostensum * est, autem, quod beatitudo est quoddam bonum excedens naturam creatam. unde impossibile est, quod per actionem alicuius creaturæ conferatur: sed homo beatus fit solo Deo agente, si loquamur de beatitudine perfecta. Si verò loquamur de beatitudine imperfecta, sic eadem ratio est de ipsa, & de virtute, in cuius actu consistit.

* art. praec.

G AD PRIMVM ergo dicendum, quod plerumque contingit in potentis actibus ordinatis, quod perducere ad vltimum finem pertinet ad supremam potentiam: inferiores verò potentiae coadiuuant ad consecutionem illius vltimi finis disponendo. Sicut ad artem gubernatiam, quae praestit nauifactionem, pertinet vltus naui, propter quem naui ipsa fit. Sicigitur in ordine vniuersi homo quidem adiuuatur ab angelis ad consequendum vltimum finem secundum aliqua precedentia, quibus disponitur ad eius consecutionem: sed ipsum vltimum finem consequitur per ipsum primum agentem, qui est Deus.

H AD SECVNDVM dicendum, quod quando aliqua forma actu existit in aliquo secundum esse perfectum, & naturale, potest esse principium actionis in alterum, sicut calidum per calorem calefacit: sed si forma existit in aliquo imperfecte, & non secundum esse naturale, non potest esse principium communicationis sui ad alterum: sicut intentio coloris qui est in pupilla, non potest facere album: neque etiam omnia quae sunt illuminata, aut calefacta, possunt alia calefacere, & illuminare: sic enim illuminatio, & calefactio essent usque ad infinitum. Lumen autem gloriae, per quod Deus videtur, in Deo quidem est perfecte secundum esse naturale: in qualibet autem creatura est imperfecte, & secundum esse similitudinarium, uel participatum. Unde nulla creatura beata potest communicare suam beatitudinem alteri.

I AD TERTIVM dicendum, quod angelus beatus illuminat intellectum hominis, vel etiam inferioris angeli, quantum ad aliquas rationes diuinorum operum: non autem quantum ad visionem diuinæ essentiae, ut in primo dictum est. * Ad eam enim videndam omnes immediate illuminantur a Deo.

* p. p. q. 106. art. 1. & 2. arg.

ARTICVLVS VII.

Vtrum requirantur ad aliqua opera bona ad hoc, quod homo beatitudinem consequatur a Deo.

K AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur, quod non requirantur aliqua opera hominis ad hoc, ut beatitudinem consequatur a Deo. Deus enim, cum sit agens infinitae virtutis, non praerigit in agendo materiam, aut dispositionem materiae, sed statim potest totum producere: sed opera hominis cum non requirantur ad beatitudinem eius, sicut causa efficiens, ut dictum est, * non possunt requiri ad eam, nisi sicut dispositiones. ergo Deus qui dispositiones non praerigit in agendo, beatitudinem sine precedentibus operibus confert.

Infr. q. 6. in translatione Et. 1. q. 62. art. 1. ad 1. Et opul. 3. cap. 173.

* art. praec.

¶ 2 Preterea, Sicut Deus est auctor beatitudinis immediate, ita & naturam immediate instituit: sed in prima institutione naturae produxit creaturas nulla dispositione

positione procedente, vel actione creaturæ, sed statim fecit unumquodq; perfectum in sua specie. ergo videtur, quod beatitudinem conferat homini sine aliquibus operationibus præcedentibus.

¶ 3 Præter. Apostolus dicit Rom. 4. Beatitudinem hominis esse, cui Deus confert iustitiam sine operibus. non ergo requiruntur aliqua opera hominis ad beatitudinem consequendam.

SED CONTRA est, quod dicitur Ioann. 13. Si hæc feceritis, beati eritis, si feceritis ea. ergo per actionem ad beatitudinem pervenimus.

4.4. ar. 4.

RESPON. Dicendum, quod rectitudo voluntatis, ut supra dictum est, requiritur ad beatitudinē, cum nihil aliud sit, quam debitus ordo voluntatis ad ultimum finem, que ita exigitur ad consecutionem ultimi finis, sicut debita dispositio materiæ ad consecutionem formæ: sed ex hoc non ostenditur, quod aliqua operatio hominis debeat præcedere eius beatitudinem. Posset enim Deus simul facere voluntatē recte tendentem in finem, & finem consequentem: sicut quandoque simul materiam disponit, & inducit formam, sed ordo diviniæ sapientiæ exigit ne hoc fiat, ut enim dicitur in 2. de celo. * Eorum quæ nata sunt habere bonum perfectum, aliquid habet ipsum sine motu, aliquid uno motu, aliquid pluribus. Habere autem perfectum bonum sine motu, cōvenit ei quod naturaliter habet illud: habere autem beatitudinem naturaliter, est solius Dei. vnde solius Dei proprium est quod ad beatitudinem non moveatur per aliquam operationem præcedentem. Cū autem beatitudo excedat omnem naturā creatā, nulla pura creatura convenienter beatitudinē consequitur absque motu operationis, per quā tendit in ipsam: sed angelus qui est superior ordine nature, quæ homo, cōsecutus est eā ex ordine diviniæ sapientiæ uno motu operationis meritoria, ut in primo expositum est. * Hōies autem consequunt ipsam multis motibus. operatio nū, qui merita dicuntur. vnde et sicut Philosophus, beatitudo est premium virtuosarum operationum.

Text. 64. 65. 66. 10. 2.

6. 4. ar. 5. h. 1. Eth. 6. 7. h. 1. 10. c. 6. 7. 8. 8. 10. 5.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod operatio hominis non præexigit ad consecutionem beatitudinis propter insufficientiam diviniæ virtutis beatificantis, sed ut servetur ordo in rebus.

AD SECUNDUM dicendum, quod primas creaturas statim Deus perfectas produxit absque alia dispositione, vel operatione creaturæ præcedente: quia sic instituit prima individua specierum, ut per ea natura propagaretur ad posteros. Et similiter, quia per Christum qui est Deus & homo, beatitudo erat ad alios derivanda, sicut illud Apostoli ad Hebr. 2. Qui multos filios in gloriam adduxerat: statim a principio suæ conceptionis, absque aliqua operatione meritoria præcedente, anima eius fuit beata: sed hoc est singulare in ipso. Nam pueris baptizatis subvenit meritum Christi ad beatitudinem consequendam, licet definit in eis merita propria eo quod per baptismum sunt Christi membra effecti.

D. 69.

AD TERTIUM dicendum, quod Apostolus loquitur de beatitudine spei, quæ habet per gratiā iustificantē, quæ quidem non datur propter opera præcedentia. Non enim habet rationem termini motus, ut beatitudo: sed magis est principium motus, quo ad beatitudinem tenditur.

ARTICULUS VIII.

Utrum omnis homo appetat beatitudinem.

inf. 9. 10. ar. 1. de beatitudo.

AD OCTAVUM sic proceditur. Videtur, quod non omnes appetant beatitudinem. Nullus enim po-

test appetere quod ignorat, cum bonum apprehensum sit obiectum appetitus, ut dicitur in 3. de anima: * sed multi nesciunt quid sit beatitudo, quod sicut Aug. dicit in 13. de Trin. patet ex hoc, quod quidam posuerunt beatitudinem in voluptatibus corporis, quidam in virtute animæ, quidam in aliis rebus. non ergo omnes beatitudinem appetunt.

& 1. q. 10. ar. 1. & 2. cor. 13. con. c. 88. lib. 3. c. 97. & ver. q. 25. ar. 5. & 6. Et mal. q. 6. cor. & ad 7. 9. & 10. & 1. Eth. co. 5. h. 1. 3. de sig. tex. 29. 34. & 49. 10. 2. c. 4. cir. pri. to. 3. q. 3. ar. 8.

SED CONTRA est, quod Aug. dicit 13. de Trin. Si unus dixisset, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non cognosceret voluntate. quilibet ergo vult esse beatus.

¶ 3 Præter. Aug. dicit in 13. de Trin. * Quod beatus est qui habet omnia quæ vult, & nihil male vult: sed non omnes hoc volunt: quidam enim male aliqua volunt, & tamen volunt illa se velle. non ergo omnes volunt beatitudinem.

c. 4. & 5. 10. 9.

SED CONTRA est, quod Aug. dicit 13. de Trin. Si unus dixisset, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non cognosceret voluntate. quilibet ergo vult esse beatus.

c. 3. cir. sic. 2.

RESPON. Dicendum, quod beatitudo dupliciter potest considerari. Vno modo sicut communem rationem beatitudinis: & sic necesse est quod omnis homo beatitudinem velit: ratio autem beatitudinis communis est, ut sit bonum perfectum, sicut dictum est. * Cum autem bonum sit obiectum voluntatis, perfectum bonum est alicuius, quod totaliter eius voluntati satisfacit. vnde appetere beatitudinem, nihil aliud est quam appetere ut voluntas satietur. quod quilibet vult. Alio modo possumus loqui de beatitudine sicut specialē rationem, quantum ad id, in quo beatitudo consistit. Et sic non omnes cognoscunt beatitudinem: quia nesciunt cui rei communis ratio beatitudinis conveniat: & per consequens, quantum ad hoc, non omnes eam volunt. Vnde patet responsio ad ad primum.

q. 1. ar. 5. & 7

AD SECUNDUM dicendum, quod cum voluntas sequatur apprehensionem intellectus, seu rationis: sicut contingit quod aliquid est idem secundum rem, quod tamen est diversum secundum rationis considerationem: ita contingit quod aliquid est idem sicut res: & tamen uno modo appetitur, alio modo non appetitur. Beatitudo ergo potest considerari sub ratione finalis boni & perfecti, quæ est communis ratio beatitudinis: & sic naturaliter & ex necessitate voluntas in illud tendit, ut dictum est. * Potest etiam considerari secundum alias speciales considerationes, vel ex parte ipsius operationis, vel ex parte potentie operatiæ, vel ex parte obiecti: & sic non ex necessitate voluntas tendit in ipsam.

In cor. ar. & q. 1. ar. 5.

AD TERTIUM dicendum, quod ista definitio beatitudinis, quam quidam posuerunt: Beatus est, qui habet omnia quæ vult, vel cui omnia optata succedunt, quodam modo intellecta, est bona & sufficiens: alio vero modo est imperfecta. Si enim intelligatur simpliciter de omnibus quæ vult homo naturali appetitu, sic verum est, quod qui habet omnia quæ vult, est beatus. Nihil enim satiat naturalem hominis appetitum, nisi bonum perfectum, quod est beatitudo. Si vero intelligatur de his, quæ homo vult secundum apprehensionem rationis, sic habere quædam quæ homo vult, non pertinet ad beatitudinem, sed magis ad miseriam, in quantum homini habita impediunt hominem, ne habeat quæcumque vult naturaliter. sicut etiam ro accipit ut vera interdum, que impediunt a cognitione veritatis. Et sicut hanc considerationem Aug. * addit ad perfectionem beatitudinis, quod nihil mali velit, quis primū posset sufficere, si recte intelligeretur, si quod beatus est, qui habet omnia quæ vult.

Locis in arg. sed contra ratione.

Prima Secundæ S. Thomæ. C QVAEST.